

ret salutis regni, à quo in mense Februarij per Gallorum regem pulso nonnulli Barones, & alij de Regno Carolo adhæserunt, & cum animaduertet Carolus ipse Italia ligam contra eum producendo Ferdinando in regnū, relicti quibusdam arcibus munitis, è regno discessit, fuitq; Ferdinandus reuersus in mense Iunij eiusdem anni, & recuperata ciuitate Neap. & demum post immensos labores victis, & profugatis Gallis in principio Octob. 1496. In castro Capuano ciuitatis Neap. mortuus fuit, ante cuius mortem multas concessiones fecerat, de quibus partim eo viuo fuerunt priuilegia expedita, partim eo mortuo per Federicum tunc Principem Altamuræ suum patrum, qui ei in regno successit, quæ concessiones aliquibus fuerunt visæ iniuste cum regnum reliquit, & Barones per prius liberauerat à iuramento fidelitatis propter potentiam Caroli, non debebant infideles reputari, quamuis ista potuissent eos excusare, tamen non præstabant excusationem illis, qui sponte cum Carolo Galliam petiere, quibus statuto termino per Federicum, noluerunt comparere, qui Federicus cum contra nonnullos Barones, qui noluerunt obedientiam præstare, castra amoueret, per aliquod tēpus fatigatus extitit, sicut ex tempore, quo pro subsidio Colummensium suorum confederatorum exercitū direxit, inter quæ tēpora multas concessiones fecerat bonorum deuolutorum ob delicta nonnullorum vsq; quo diuiso regno inter regē Catholicum, & regē Francorum Aloysium fuit in anno expulsus è regno, & dum galli non contenti eorum parte per inuestituram Alexandri Sexti Pontificis concessam voluissent obuentam partem regi Catholico inuadere in anno 1502. Deus omnipotens non permittens eorum superbiam vltra progredi quadruplicatas victorias Hispanis sub illo duce Inuictissimo magno Capitaneo Consaluo Ferdinando concessit, taliter quòd in mense Maij 1503. habuerunt Neapolim, & sequenti mense Castrū nouum, & alia fortellitia, & in fine mensis Decembris eiusdem anni fuerunt Galli victi apud Garilianum, & capta Gaieta per aliquot menses in anno 1504. fuerunt fugati omnes galli; Accersitis igitur omnibus Baronibus regni, & destinatis legatis per ciuitatē Neap. ad regem Catholicum fuit ibidem orta contētio,

quia multi nomine aliorum dicebant se, & suos prædecessores iniuste spoliatos ab illis regibus, & iustitiam petebant, alij vero qui concessionarij erant, & filij donatariorum, & qui semper Aragonias partes secuti erant, allegabant non esse concedens, vt gesta per illos reges in dubium refricarentur, & quòd odijs, & tumultibus omnes accenderēt, post longam controuersiam coram sua Maiestate, & suo assidenti Consilio habitam, fuit deuentum ad hanc legem, quam nos Pragmaticam vocamus, prout verè Pragmatica dicitur, postquam fuit ventilata disceptatio in consilio regis, & coram suis cōsiliarijs, vt declarat glo. in c. peruenit vers. per Pragmaticam destinet.

Secundo quòd postquā hæc lex fecit mentionem de Ferdinando primo, & secundo, merito rex ipse Catholicus debebat se nominare Ferdinandum tertium, eius nominis regem, circa quòd est pro intelligentia sciendum, † quòd primus, qui in hoc regno regis titulum sibi vendicauit, fuit Rogerius filius Rogerij Comitis Sicilia, filij Tancredi Guiscardi, sub Honorio Papa II. Qui Rogerius primus rex habuit Gulielmum, ex isto Gulielmo fuit natus alius Gulielmus, & Cōstantia, quo Gulielmo sine filijs mortuo, constantia duxit in virum Henricum Imperatorem ex quibus natus fuit Federicus, ex Federico Corradus, ex Corrado Corradinus, item ex Federico Manfredus, qui fuit Princeps Tarenti, qui Manfredus filiam suam nuptui tradidit Petro regi Aragonum, & mortuo Federico, & Corrado, regnoq; vsurpato per Manfredum, Vrbanus 4. ægre ferens hoc, cum debuisset Corradino fauere, concessit regnum, seu inuestiturā de facto Carolo Comiti Prouintiæ de stirpe regum Franciæ, qui suffultus fauore Clementis 4. à quo inuestituram habuit in anno 1265. magno apparatu regnū inuasit, & sumpto prælio cum rege Manfredo in planitie beneuentana in die veneris 26. Februarij 1265. fuit Manfredus ipse mortuus, & superatus, cuius corpus 28. Februarij nudum ereptum, & iubente rege Carolo cum quadam honorificentia non tamen ecclesiastice sepulturæ, quia excommunicatus erat, & petente Corradino Regnum hæreditarium, cum de iure ei debebatur, quia ecclesia fauebat Carolo, tentās Corradinus suam